Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1265
Quelle:
Copyright:

VIII. *fol.* 41. p. 2. Excerpta e IV. *Libris Sententiar. Thomae Aquinatis*, hoc initio: *De sacramentis breuiter aliquid ab opere fratris thome excerpturi* &c. Post Sacramenta etiam reliqua Dogmata pervadit Excerptor.

IX. *fol.* 82. *Incipit opusculum de anima extractum de opere fratris alberti lectoris per fratrem Martinum brandeburgensem breuiter ad aliquam noticiam compilatum.* Albertus is lector *Albertus Magnus* est O. P. deinceps Episcopus *Ratisponensis*, ad quam Sedem cum a. 1260. pervenerit, liquet ἐπιτομὴν nostram ante hunc annum scriptam fuisse. Noli vero eam e *Commentariis Alberti in Aristotelem de Anima* natam putare. *Summae Albertinae de Creaturis Partem* II. quae est de Homine, legiturque nunc *Opp. omn.* edit. *Lugd.* 1651. T. XIX. f. repraesentat, additis sub finem Quaesitis variis de *Resurrectione* et altera vita. Excerptorem nostrum apud *Quetif.* et *Echard.* non reperio.

Thecae *Codicis* utrique Varia ad Rationem ordinandorum Temporum pertinentia interius adscripta sunt.

CCCXXIX.

235 Codex chartaceus, admixtis quibusdam foliis membraneis, lat. Sec. XV. Folior. 304. f. partim per columnas, partim lineis longis scriptus complectitur sequentia: I. *Henrici de Hassia Tractatum physicum*, qui inscribitur: *De habitudine caussarum et influxu nature communis respectu inferiorum*, ut patet ex *nota* ad calcem, in qua Autor *subtilis speculator* adpellatur. Initium est: *Quia libenter scire vellem modum naturalis administrationis et regiminis naturaliter agentium mundi inferioris a superiori celestium subcelestiumque causarum ac vtrorumque inter se concathenacionem et dependenciam quam cathenam auream vocant* &c. Experimentis maxime hydraulicis principia aevi sui constabilire nititur, seque non minorem, ut tunc erant, Philosophum probat, quam Theologum novimus. Tractatus hujus meminit e *Cod. Mellicensi* solertissimus *Pezius Dissert. isag. in T. I. Thes. Anecd.* p. 78.

II. *fol.* 9. p. 2. sequitur *Tractatus Theologicus de Communicatione Idiomatum* in divinis, cujus initium est: *De communicacione ydiomatum. c. 4° quedam alias dixi que nunc deo fauente propono diffusius et ordinacius pertractare suppositis protestationibus consuetis fieri parysius in talibus et alias per me factis* &c. Series dein tractandorum exhibetur. Quanquam porro Scriptum istud inter opera *Henrici de Hassia* enumerari non videam, facile tamen ad id ei tribuendum moveor ex eo, quod, ut vidimus, ad morem *Parisinum* provocat autor, quo in emporio literarum *Henricum* claruisse notum est, dum anno 1379. ab *Alberto* Duce ad plantandum *Viennense* gymnasium accerseretur. *Joh.* tamen *Launojus* inter